

di istos ad gloriam radicaliter est voluntas non eligendi ad media efficaciam, sed deserendi illos, etiam in gratia, sicut deserit in eligendo ad gloriam, cum gratia perseverans sit infallibiliter connexa cum gloria. Repugnat ergo quod detur rejectio a gloria efficax non eligendo aliquos ad illam, et non detur efficax rejectio a gratia efficaci, et perseveranti, cum illa sit virtualis rejectio istius, sicut qui efficaciter non vult ignem, efficaciter in vi hujus non vult calorem ut octo, et qui non vult hominem, non vult risibile. Et ideo recte dixit S. Thomas reprobationem esse causam derelictionis Dei, et includere voluntatem permittendi cadere in culpam, et inferendi damnationis pœnam. Neque ex hoc Deus se obligat ad hoc ut labantur in peccata, sed solum se obligat ad negandum gratiam efficacem, quia hoc virtualiter, et radicaliter continetur in priori rejectione, peccatum autem provenit ex libero arbitrio ejus qui deseritur a gratia, et reprobatur, ideoque, ut advertit D. Thomas in hoc articulo III ad II, dicitur perditio esse ex nobis, et non ex Deo. Neque sufficit ad hoc illa simplex voluntas, et quasi conditionata puniendi eos qui non deseruerint peccata: hæc enim voluntas est communis, etiam pro prædestinatis, sicut e contra voluntas salvandi omnes conditionate, si per ipsos non steterit, est communis etiam reprobis; et sic ex illa non sequitur negatio efficacis gratiæ magis in his, quam in illis: inefficax enim voluntas finis, ut sæpe supra diximus, infœcunda est, nec parit quidquam circa media. Et præterea si Deus efficaciter eligit istos determinate præ aliis, non stat inefficaciter solum se habere circa alios quos non eligit, cum de facto, et efficaciter relinquat illos, non suspendat, et differat, ut supra ostensum est,

cum omnes electi simul eligantur.

XXII. Præter fundamentum hoc quod est apud nos convincens, cum per necessariam consequentiam deducatur ex sententia a nobis admissa, et probata supra de electione ad gloriam ante prævisa merita, hoc ipsum fundatur in ipso connaturali ordine providentiæ divinæ circa res gratuitas, et beneficia indebita, et supernaturalia, quæ semper incipiunt a fine vel collato, vel denegato, imo, ut supra dicebamus ex D. Thoma quæst. XI, artic. IV, omne quod ex justitia retribuitur a Deo, supponit, et fundatur in aliquo gratuito, unde incipit. Fundatur deinde in eo quod peccatum ut irremissibile, quod est peccatum finale, debet esse effectus reprobationis, non ejus causa, et motivum; constat autem quod reprobatio si aliquod peccatum debet habere pro motivo, debet esse peccatum non remittendum: nam quod remissum remittendum est, non est sufficiens motivum pro reprobatione punitiva, et exclusiva ab æterna gloria. Fundatur denique in locutione ipsa Scripturæ, quæ hoc ipsum significat ad Rom. IX.

XXIII. Primum horum explicatum est in præcedenti articulo, explicando rationem quare reprobatio non sumitur solum pro actu justitiæ punitivo, sed etiam pro exclusione negativa efficaci a gloria, cujus effectus sit permissio peccati. Nam constat quod connaturalis modus providentiæ, quæ versatur circa media supponit voluntatem de fine ordine intentionis efficacem, quia inefficax voluntas non habet connexionem per se cum electione mediorum, et effectu subsequuto, sed si sequitur, erit per accidens, et non ex intentione: ergo si est providentia circa bonum indebitum, et gratuitum, non petit de se illa providentia quod talis voluntas volendi illum finem sit pro

omnibus ut efficaciter, et absolute consequendum, licet ineffaciter, et sub quadam conditione aut abstractione consideratus possit esse volitus pro omnibus: ergo de se, et ex ipsa natura talis providentiæ de re gratuita proponenda ad consequendum, stat quod pro aliquibus talis finis eligatur, ut assequendus, pro aliis non, et respectu istorum sit reprobatio, seu exclusio a fine ordine intentionis, id est, non intendere hunc finem pro istis, nec apponere cor, ut pro isto fine eligantur. Nec potest dici quod prædestinatio, et reprobatio non sint circa gratuita, quia ut merces proponitur gloria; et sic ex debito, et a fortiori supplicium. Dicimus enim quod prædestinatio, et reprobatio dicuntur a D. Thoma pertinere ad gratuita in articulo quinto hujus quæstione ad tertium, quia versantur circa supernaturalia, quæ sunt indebita naturæ, licet gloria se habeat ut merces, non respectu gratiæ, et respectu operum, quæ fiunt ex gratia. Unde ordinare naturam ad talem finem qui ipsam excedit, et dare gratiam seu principium pro quo talis natura proportionetur, et reddat sibi debitum talem finem, gratuitum beneficium Dei est; et sic providentia ejus etiam aliquos non admittit ad talem finem, sed permittit deficere: quia rem ita indebitam non omnibus dare vult. Unde sicut talis providentia debet incipere a voluntate intentionis admittente aliquos ad talem finem, ita e converso reprobativa providentia incipit a voluntate non apponente cor, nec eligente tales homines circa illum finem. Et de hoc nulla alia ratio debet assignari, quam simplex Dei voluntas, non motivum ex parte creaturæ: sicut enim quod Deus ex innumerabilibus creaturis possibilibus et infinitis mundis, has solum creaturas elegerit ut in esse produ-

ceret, reliquas sub non esse reliquit, nec apposuit erga eas cor suum, non ob aliam rationem quam ob liberrimam voluntatem suam in dando, vel denegando esse: ita non est quærenda alia ratio quam voluntas divina in apponendo cor ad dandum, vel denegandum esse gloriæ, et gratiæ.

XXIV. Secundum vero explicatur ex hoc, quia permissio peccati ut non remittendi, seu peccati finalis, debet esse effectus alicujus providentiæ in Deo; non providentiæ generalis solum, non providentiæ prædestinantis ad regnum: ergo providentiæ reprobantis. Patet consequentia, quia non dantur plures providentiæ nisi vel generalis, quæ communis est reprobis, et prædestinatis, sive in genere naturæ, vel specialis, quæ versatur circa eos qui de facto salvantur, vel circa eos qui de facto excidunt a salute. Major etiam manifesta est, quia si omnis permissio peccati est ex providentia Dei, quia non sit talis permissio, nisi Deo sciente, et volente, et propter aliquem finem sic disponente, quanto magis peccatum finale quod nunquam remittendum est ex Dei dispositione, et ordinatione permittetur? Minor vero probatur: Non est illa permissio effectus providentiæ generalis, quia hæc providentia est communis reprobis, et prædestinatis, et sic solum respicit effectus qui possunt illis esse communes: permissio autem peccati irremissibilis non potest inveniri in prædestinatis, quia si invenitur, damnarentur: ergo est solum reproborum; et sic non est effectus communis: ergo nec causatur a providentia communi. Nec est effectus prædestinationis, cum sit effectus oppositus perseverantiæ finali, et consequenter est oppositus fini prædestinationis, quia habet infallibilem connexionem cum damnatione. Nec potest

dici quod est effectus prædestinationis, in quantum cedit in majorem gloriam prædestinati, quod permittantur aliqui sic peccare, a quibus laqueis ipsi liberantur. Contra enim est, tum quia hoc modo etiam ipsa damnatio pœnæ æternæ dicitur esse effectus prædestinationis, quia ab ea liberantur justi, et cedit in gloriam eorum: *Lætabitur enim justus, cum viderit vindictam, et manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Si ergo non obstante illatio æternæ pœnæ est effectus reprobationis, etiam in sententia opposita, utique etiam permissio æternæ culpæ, seu peccati nunquam remittendi, erit effectus reprobationis. Tum quia si illa permissio est effectus tam specialis providentiæ, qualis est prædestinatio, ut ipsis cedat in gloriam, cur non erit effectus specialis providentiæ reprobatiivæ, ut cedat in gloriam Dei in ostensione suæ justitiæ? Si autem semel habemus quod permissio finalis peccati est effectus reprobationis: ergo supponitur reprobatio ante talem permissionem et ante tale peccatum finale: ergo datur exclusio a gloria ante peccatum finale: ergo et ante omne aliud demeritum, quia nulla culpa potest esse sufficiens motivum excludendi a gloria, et damnandi in æternum, nisi culpa finalis, et irremissibilis, non remissa vel remittenda.

XXV. Tertium denique sumitur ex ipso contextu capitis ix ad Romanos, ubi Apostolus intendit ostendere quod negotium prædestinationis, et consecutio hæreditatis divinæ est ex pura Dei misericordia, et ex ejus voluntate eligentis hos, et relinquentis illos, non ex aliquo præsupposito ex parte nostra. Et hoc inducit tres consequentias.

Primam, ab exemplo duorum geminorum Jacob et Esau: *Qui cum nondum nati essent, nec aliquid boni*

*vel mali fecissent, non ex operibus, sed ex vocante* (id est, consulentis vocationem præveniente, et ei respondente) *dictum est quod major serviet minori, et quod unum dilexit, alterum odio habuit.* Quod dictum ex Genesi, et Malachia Apostolus affert, ubi licet secundum corticem litteræ Scriptura loquatur de aliquo temporali pertinente ad hæreditatem utriusque fratris, tamen Apostolus utitur illo testimonio tamquam altiori principio, ut inferat non esse in Deo iniquitatem si ex voluntate suajunius misereatur, et non alterius, etiam in ordine ad hæreditatem spirituales quæ est in Christo, de qua ibi Apostolus principaliter intendebat. Et sic cum non sit iniquitas apud Deum, si miseretur cui vult, ut Moysi dixit, infert Apostolus quod non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Quæ consequentia non solum tenet in his quæ pertinent ad temporalem hæreditatem Esau, et Jacob, sed quæ pertinent universaliter ad providentiam Dei, et specialiter circa negotium prædestinationis, et reprobationis. Optime autem Apostolus hunc latentem et spirituales sensum ex illis verbis eduxit, quia dicitur, ibi: *Esau odio habui:* autem non habet odio aliquem, nisi propter peccatum: nihil enim odit eorum quæ fecit. Nec dicitur odio habere, quia repellit ab hæreditate temporali, aut dat minora bona alicui, alias diceretur lunam aut stellas odisse, quia dat eis minorem lucem, quam soli, ut argumentatur Augustinus lib. i ad Simplicianum, quæst. ii. Recte ergo ex illo verbo: *Esau odio habui,* infertur non loqui Scripturam de sola hæreditate temporali quæ negata est Esau, sed de spirituali, quæ ratione peccati negatur, et solum est capax odii Dei.

Secundam consequentiam deducit ab exemplo Pharaonis, cum di-

cit Scriptura: *Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Ex quo infert Apostolus: *Ergo cujus vult misereatur, et quem vult indurat,* quæ utique misericordia, et induratio non pertinent ad aliquid temporale, sed ad spirituale bonum gratiæ vel peccati, induratio enim solum in peccato verificatur per negationem gratiæ, quod totum reducit ad voluntatem Dei.

Postremam consequentiam facit adversus replicam, quæ inde con-surgit, quod videlicet Deus conqueri non potest, si totum hoc ex ejus voluntate pendet: *Quia voluntati ejus quis potest resistere?* Contra quam inducit Apostolus exemplum de figulo, et figmento, seu luto, ex capite xlv Isai, et Jeremiæ xviii, habet enim potestatem figulus pro suo placito facere ex eadem massa unum vas pulchrum et in honorem, et aliud vile et in contumeliam. Et nihilominus titulum justæ querelæ habet Deus ex differentia, quæ inter reprobos, et prædestinatos versatur, quia etsi totum hoc negotium ex voluntate Dei dependeat, tamen est lata differentia quod ad ostendendam justitiam, et potentiam suam sustinuit, id est, permisit, et patienter tulit vasa iræ facere quæ volunt; ad ostendendum autem divitias gloriæ in vasa misericordiæ, præparavit illa in gloriam. Unde quia hæc præparavit, illa vero sustinuit, habet de illis querelam quia patientiam, habet de istis gloriam quia dedit illis gloriam. Apostolus ergo, ut patet ex calce, et sine hujus discursus, intendit reducere totum hoc negotium prædestinationis, et reprobationis ad voluntatem Dei, a qua unice dependet (quod clarius elucescit in prædestinatione, et reprobatione Angelorum, in quibus nullum præcessit peccatum) et ostendit

hoc non fieri ex præsuppositione aliquorum operum, neque desumendum esse motivum ex parte nostra, sed ex fine quem Deus statuit, scilicet ut nota fiat ejus potentia, vel misericordia, et quia summam habet potestatem faciendi, et disponendi quæcumque vult.

XXVI. Hæc etiam sententia, et expositio Pauli non solum est D. Thomæ in hac quæstione art. v ad iii, ubi sic exponit Apostolum, sed etiam Augustini qui, si diligenter legatur, hanc eandem sententiam tenet, et hoc modo Apostolum exponit loquendo de reprobatione secundum se, et ut facta est in Angelis. Nam quomodo facta sit in hominibus præcedente originali peccato, an in pœnam illius reprobati sint, et ex judicio punitio-nis processerit decretum reprobationis postea tractabitur. Igitur Augustinus in libro de prædestinatione et gratia, postquam late tractavit hunc locum Pauli ad Rom. ix, et ex illo ostendit prædestinationem Dei ex nullis meritis processisse, etiam reprobationem, etiam in Dei voluntatem, et non in demerita hominum, sine ulla Dei injustitia reducendam; dicit enim in fine capituli xv: « Hic quicumque respondet, illi ut mutaretur affuisse divinum, huic ut induraretur defuisse præsidium, et hoc contendit injustum propter quod rerum ipsarum fines in Dei voluntate constituens Apostolus dixit: Cujus vult misereatur et quem vult indurat, dicente Domino: Sine me nihil potestis facere, intelligat illa omnia, vel adjuvante Domino perfici, vel deserente permitti, ut noverit tamen volente Domino nihil prorsus admitti. » Ubi Augustinus ad solam voluntatem Dei, et non ad demerita super quæ cadat illa reprobatio, discretionem istam reducit. Et clarius capite xvi sequenti, ubi loquitur de reprobatio-

ne, quæ fieret nullo existente peccato originali, qui est casus nostræ conclusionis, ubi loquitur de reprobatione secundum se. Verba Augustini sunt: « Si humanum genus, quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debita mortis, et peccati origine nasceretur, et ex eis creator omnipotens nonnullos damnare vellet in interitum, quis omnipotenti creatori diceret, quare sic fecisti? Qui enim cum non essent, esse donaverat, quo fine essent habuit potestatem: nec dicerent cæteri, cur paribus omnium meritis divinum discreparet arbitrium, quia potestatem habet figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam. » Ecce manifestissime Augustinus independentem a peccato originali ponit rejectionem aliquorum, non solum a gratia, sed etiam a gloria, cum loquatur de damnatione in interitum, et in hoc sensu explicat Apostoli verba de potestate figuli, etiam independentem a peccato originali, atque adeo a reprobatione, quæ fit in forma, et modo iudicii. Eandem doctrinam confirmat Augustinus loquens de rejectione primi hominis a gratia, et diaboli a beatitudine quæ ad solam Dei voluntatem, et non ad aliquod iudicium ex priori demerito processit. Idem autem videtur iudicium de exclusionem a gloria via intentionis, et de exclusionem a perseverantia, de qua ibi loquitur Augustinus. Verba sunt: « Si propterea non habuit perseverantiam primus homo, quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus a massa perditionis, gratiæ largitate. Nondum quippe erat illa in genere humano perditionis massa antequam peccasset, ex quo tracta est origo viliata. Quapropter salu-

berrime confitemur, quod rectissime credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, et mala ex bonis exortura esse præscivit, et scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere, sic ordinasse Angelorum hominumque vitam, ut in ea prius ostenderet quid eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque iudicium. » Ecce ubi, remoto omni peccato originali, adstruit Augustinus reprobationis ordinem tam in Angelis, quam in homine, ex sola Dei voluntate volente ostendere omnipotentiam suam, ex fragilitate liberi arbitrii multa bona eliciendo; et sic permittere, seu sinere quod cadat, deinde vero quid possit gratia, et tandem id terminari in justitiæ iudicio. In illa ergo priori intentione, lapsus permissus fuit, non ex aliquo demerito, aut præviso, aut præcedente, sed ex solo fine divinæ gloriæ, et omnipotentiae, et idem est de exclusionem a gloria, neque enim permissio peccati in Angelo ab exclusionem gloriæ sejuncta fuit, cum fuerit peccatum irremissibile. Ergo manifestum est sententiam D. Thomæ esse etiam Augustini, quamvis ipse solum citet illum locum ex tractatu xxvi in Joannem: « Quare istum trahat, illum non trahat, noli dijudicare, si non vis errare; » quod pertinet ad rejectionem a gratia.

XXVII. Non vocat longam aliquorum digressionem persequi, volenti etiam vim argumenti ex loco Pauli frangere, dicendo quod non loquitur de prædestinatione Jacobi, et reprobatione Esau, quia probabilissimum putant Esau non fuisse reprobatum a regno cælorum, sed solum loquitur de repulsa ab hæreditate temporali: *Quia posui*, inquit,

*montes ejus in solitudinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti*, Malach. i Ex hoc autem argumentatur Paulus ad ostendendum quod vocatio congrua ad gratiam est ex voluntate Dei, et similiter ejus negatio; et sic non ut iniquitas apud Deum. De rejectione vero a gloria nihil Paulum exprimere ibi constat.

Sed utrumque horum non flectit rationem factam. Nam quidquid sit de repulsa Esau ab hæreditate, et bonis temporalibus, et benedictione paterna, in quo non dubitamus populum Israeliticum fuisse prælatum Idumæo, et oraculum illud Genes. xxv, Rebecæ redditum non respexisse personas singulares Jacob, et Esau, sed populos ex illis nascituros, sicut scriptum est: *Dux gentes sunt in utero tuo, et duo populi ex utero tuo dividuntur, populusque populum superabit, et major serviet minori*, quod certe ibi non de personis dicitur, sed de regnis, seu populis inde descendentibus, nec in ipsis personis vivificatum est, quia Esau nunquam legitur victus a Jacob, eique servisse personaliter, sed verificatum est tempore David ii Reg. viii: *Facta est universa Idumæa serviens David*; tamen Apostolus mystica disputatione locum hunc tractavit, ut inquit Hieronymus supra primum Malachiæ, et ad spiritualem hæreditatem induxit, ut etiam sentit Augustinus epistola cv, et videri potest q. ii ad Simplicianum, ut supra ponderavimus. Quod vero respiciat etiam personas Jacob, et Esau, deducitur ex illis verbis: « Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est. » Hæc autem opera ex quibus non est dictum, non fuerunt opera populorum, sed ipsarum personarum Jacob et Esau. Ad illos ergo derivat sensum suum Apostolus, alias non legitimum sen-

sum facit; et in illis, electionem secundum propositum Dei manere dixit, quæ utique electio ex proposito Dei, electionem prædestinatam designat, ut frequens est apud Paulum. Loquitur ergo de electione ad gloriam, quam Paulus spiritualiter, seu mystice latere sub illis verbis: *Major serviet minori, etc.* intellexit, ut supra diximus. Certe totum illum discursum Pauli deductum ab exemplo duorum geminorum, ab exemplo Pharaonis, ab exemplo figuli, et eadem massa formantis vasa honoris, et vasa contumeliæ in hoc collimare certum est, quod Deus in negotio prædestinationis, et reprobationis hominum (quod utique designat in vasis misericordiæ et iræ) ex sua mera voluntate procedit, et ad eam totum hoc reducit. Hoc ergo nobis sufficit, nec oportet sollicitari amplius de intelligentia illius testimonii ex Genesi, et ex Malachia, si solum secundum corticem litteræ consideretur an ibi loquatur de hæreditate temporali, vel spirituali. Sufficit quod in illo testimonio invenerit Apostolus in mystico, et spirituali sensu, unde deduxerit sufficiens argumentum pro his quæ pertinent ad gratiam prædestinationis, et ad reprobationem, quæ omnia ad divinæ voluntatis nutum devolvuntur. De Esau, an fuerit personaliter reprobatus a vita æterna, quid ad nos interest? Cum non ex hoc pendeat vis apostolici discursus, et textus, ut vidimus. Certe Apostolus ad Hebr. xii Esau inter peccatores, et impœnitentes numerat, an hoc sufficiat ad reprobationem, qui non iudicabit. *Ne quis, inquit, fornicator, aut profanus, ut Esau qui propter unam escam vendidit primitiva sua, scitote enim quoniam, et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est: non enim invenit penitentiæ locum,*